

nensi, & prædictum relevatum interdicti  
per Dominum Joannem de Sulhaaens Cano-  
nicum Colim briensem.

1236 In Era millessima CCLXXIII. pressa fuit *Corduba* à  
Rege Castellæ & Legionensium, sive Dño. Fernan-  
do in die commemorationis Sancti Pauli.

In Era MCCLXXXVII. pressa fuit *Hispalis* à Rege  
Castellæ & Legionensium Dño. Fernando in die Pe-  
tri Episcopi & Martyris. (1)

Tertio Nonas Junii in eadem die qua Christus passus  
fuit, scilicet feria VI. & in eadem hora qua tenebræ  
factæ fuerunt per universum mundum in passione  
Domini, scilicet à sexta usque ad nonam, sub Era  
MCCXXXVII. facta fuerunt signa qualia nunquam  
fuerunt à passione Domini usque ad supradictam  
Eram: fuit enim intra sextam & VIII. vere nox,  
& Sol factus fuit nigror pice, & Luna ac plura  
sydera in Cælo apparuerunt: deinde recedente nocte  
illa tenebræ subsecutæ fuerunt, quibus receden-  
tibus & recuperante Sole vim claritatis suæ, con-  
gregata in Ecclesia Sanctæ Crucis Colim briæ ma-  
xima multitudine hominum & mulierum, tam sæ-  
cularium quam Religiosorum, cum omnes unani-  
miter præ nimio timore non aliud quam mortem  
subitam expectantes clamarent & ulularent, ac di-  
vinum subsidium implorarent, quibusdam ex fratri-  
bus *Te Deum laudamus*, & Letaniam cum difi-  
cilitate maxima canentibus, & divinam exorantibus  
pietatem, semivivis & stupefactis aliis omnibus man-  
tentibus, ac inde admirantibus universis, in Choro  
Sanctæ Crucis Colim briæ VII signa Lunarum appa-  
ruerunt quartarum existentium vel quintarum, quæ  
signa ibi ante neque postea sunt inspecta: hujusmodi  
autem Lunarum signa per totam Colim briæ Civita-  
tem apparuisse multis extitit manifestum, ubicumque  
Solis radii per foramen aliquod subintrabant.

Era

(1) Vide An. Compostel. in fine.